

# The Digital *Viridarium consolationis* Project

## Pars 5: De aliis rebus

### Caput 14: De conditione humana et breuitate huius vite (21)

Gregorius super illud Iob: Memento quia vermis est vita mea ait:

Sicut tela filis sic vita hominis singulis diebus proficit,  
sed quanto magis crescit, tanto citius ad incisionem tendit,

sed ad tele festinantiam velocitas vite transit,

que semper deficit et ideo electi, cor in ea non figunt.

**Dies mei velocius.**

Sicut tela filis. sic vita diebus singulis proficit:  
sed quo magis crescit: ad incisionem tendit.

Sed et telae festinantiam velocitas vitae transit.

que semper deficit. Et ideo electi cor non in ea figunt.

*Glossa ordinaria, liber Iob, 7 (Biblia Latina cum glossa ordinaria, A. Rusch ed., Strassburg, 1480).*

Congrua ualde similitudine tempus carnis telae comparatur,  
quia sicut tela filis, sic uita mortalis diebus singulis proficit;  
sed quo augmentum percipit, eo ad incisionem tendit,  
quia, sicut et superius diximus,  
cum tempora percepta praetereunt, uentura breuiantur,  
et de uniuerso uitae spatio eo fiunt pauciora quae ueniunt,  
quo multa sunt quae transierunt.

Tela quippe infra supraque ligata duobus lignis innectitur, ut texatur;  
sed quo inferius texta inuoluitur, eo superius texenda deplicatur;  
et unde se ad augmentum multiplicat, inde fit minus quod restat.  
Sic nimirum uitae nostrae tempora et transacta  
quasi inferius inuoluimus et uentura a superiori deplicamus,  
quia quo plus fiunt praeterita, minus esse incipiunt futura.  
Sed quia nec tela ad expressionem nostri temporis sufficit,  
nam eius quoque festinationem uitae nostrae uelocitas transit,  
recte nunc dicitur:

*Dies mei uelocius transierunt quam a texente tela succiditur.*

Tela quippe tarditatem prouectus habet,  
uita autem praesens moram defectus non habet.

In illa namque cum laborantis manus figitur,  
aduentus terminus elongatur;

in ista uero quia tempus semper desinens indesinenter consumimus,  
ad finem nostri itineris etiam quiescendo peruenimus,  
et per cursum nostri transitus etiam dormientes imus. Electi igitur quia  
praesentis uitae momenta decurrere sub festinatione conspiciunt,  
nequaquam in hoc tantae mobilitatis itinere cordis intentionem figunt.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 8.11 (CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.399-400, ll.2-26).